

**Dissertatio medica inauguralis quaedam de hepatitide complectens ... /
Eruditorum examini subjicit Joannes Irving.**

Contributors

Irving, John, active 1818.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Abernethy & Walker, 1818.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ndf25sbz>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

41
DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

QUAEDAM

DE

HEPATITIDE

COMPLECTENS ;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS;

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES IRVING,

Scotus,

CHIRURGUS.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1818.

DISSERTATIO MEDICA INANGULARIS

VIRI EXIMO

ALEXANDRO WATSON, M.D.

HEPATITIDE

ABUD MADRASIM

DE

PRILESON

NON NINGA PENITIA SVA IN ARTE MEDENDI
D. GEORGI BARRIS SS. T.P.

AC IN SOCIETATE OMNIGENA

DE

SVAM HERNIANTATE ET SVAVITATE MORUM
ET NOBILISSIMIS SVAVITATIBUS SVAM SVAVITATE

SVAM SVAVITATE

HOC TENTAMEN

SVAM SVAVITATE

SVAM SVAVITATE

JOANNES IRVING

SVAM SVAVITATE

TESTAMONIA

SVAM SVAVITATE

SVAM SVAVITATE

JOANNES IRVING

SVAM SVAVITATE

SVAM SVAVITATE

VIRO EXIMIO,
ALEXANDRO WATSON, M. D.

CONCILII MEDICI

APUD MADRASIAM

PRAESIDI,

NON MINUS PERITIA SUA IN ARTE MEDENDI

AC IN SCIENTIA OMNIGENA,

QUAM BENIGNITATE ET SUAVITATE MORUM

INSIGNI;

HOC TENTAMEN,

QUALECUNQUE SIT,

ANIMI GRATISSIMI

TESTIMONIUM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA

SACRUM ESSE VULT

JOANNES IRVING.

HENRICO HARRIS, M.D.

ALEXANDRO WATSON, M.D.

CONVULS MEXICI

CONVULS MEXICI

APUD MADRAGAM

APUD MADRAGAM

SECTIO

PLACIDUS

HAUD MUNDUS

HAUD MUNDUS TERTIA GUA IN IXTA MEXICANA

LIBERARIUM ORIENTALIUM STUDII

AC IN PLACIDA COLUMBICA

QUAM

QUAM HIRIGITATE ET HIRIGITATE MUNDUM

ARTIS SUAS SCIENTIA

LIBRARIUM

GENATO

HOC TENTAMEN

MEXICANA

ON REPERIENDO GUA IN ORIENTALIUM

LIBRARIUM

HAS STUDIUM PRIMITIVAS

TESTIMONIUM

AMMO GENATO

SUMMA GUA ORIENTALIUM

IN LA GUA

SACRUM HIRIGITATE

AUCTOR

IOANNES HIRIGITATE

HENRICO HARRIS, M. D.

CONCILII MEDICI

APUD MADRASIAM

SOCIO,

HAUD MINUS

LITERARUM ORIENTALIUM STUDIIS,

QUAM

ARTIS SUAE SCIENTIA

ORNATO,

NECNON

OB BENEFICIA NUNQUAM OBLIVISCENDA;

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

ANIMO GRATO

D. D. C. QUE

AUCTOR.

JOHANNES HARRIS, M.D.
JOHANNES HARRIS

SENATOR OF THE
REPUBLIC OF THE

UNITED STATES
OF AMERICA
AND
MEMBER OF THE
HOUSE OF REPRESENTATIVES

JOHANNES HARRIS

JOHANNES HARRIS

JOHANNES HARRIS

JOHANNES HARRIS

JOHANNES HARRIS

JOHANNES HARRIS

JOHANNES HARRIS

JOHANNES HARRIS

JOHANNES HARRIS

JOHANNES HARRIS

JOHANNES HARRIS

SUIS CONSANGUINEIS,

JOANNI IRVING,

E SENATORIBUS BRITANNICIS

UNI,

NECNON

GEORGIO IRVING,

EJUSDEM FRATRI,

QUI AMBO LONDINI DEGUNT,

SUMMAQUE BENIGNITATE,

BENEVOLENTIA, MORUMQUE SUAVITATE

PRAEDITI SUNT;

HOC OPUSCULUM,

OB BENEFICIA INNUMERA IN SE COLLATA

MEMORI PECTORE CONDITA,

CONSECRAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

QUAEDAM

HEPATITIDE

QUI COMPLECTENS DEORUM

SUMMAE REPERITUR

REPERITUR IN

PRÆFATA

Sororare alicubi dixit, melius excolam in
medicinam, si viri artis salubriter studiosi,
quibus ipsi plecterentur, eos morbos solos aro-
re graviter se accingent. Hanc philosopho
claro mihi in animo est consentire, ideoque
morbum, quo in India Orientali diu laborabam,
tractare volui, neque ad ejus impetu insidioso.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

QUAEDAM

DE

HEPATITIDE

COMPLECTENS.

PRAEFANDA.

SOCRATES alicubi dixit, melius excultum iri medicinam, si viri artis salutiferae studiosi, quibus ipsi plecterentur, eos morbos solos sanare gnaviter se accingerent. Huic philosopho claro mihi in animo est consentire, ideoque morbum, quo in India Orientali diu laborabam, tractare volui, neque ab ejus impetu insidioso,

cum in patrium solum rediissem, adhuc prorsus immunis.

Hepatitis morbus est, qui, plane nomine, ex hepate inflammato originem trahit. Huic quidem vitio, nunquam non lethali, viscus jam dictum, praesertim in coelo, quo radii solis nimis propinqui maxime torrent, admodum proclive est; ideoque omnium, praecipue illorum, quibus in calidas regiones transire mens est, ibique pro tempore degere, vel medicinam facere, attentionem, optimo jure, sibi vindicat.

Hoc enim organon sane toto in corpore longe amplissimum est, et munere ad salutem haud parvo perfungitur. Ad bilem secernendum destinari videtur, ex qua nimis parca, nimis copiosa, vix aut ne vix quidem diu valebit homo.

Morbus, quem prosequimur, sub duplici forma conspicitur, acuta nempe et chronica; de utraque in ordine, quam brevissime loqui consilium est.

His verbis, illam CULLENUS noster concinne definit: " Pyrexia; hypochondrii dextri tensio et dolor, saepe pungens, pleuritici instar, sae-

pius obtusus ; dolor ad claviculam et summum humeri dextri ; decubitus in sinistrum latus difficilis ; dyspnoea ; tussis sicca ; vomitus ; singultus."

Hac definitione quidem concinna, nulla vix melior dari potest, sed paulo fusius disserere placet.

DE SIGNIS HEPATITIDIS ACUTAE.

SPECIES acuta, nonnunquam, in calidis regionibus, signis adeo levibus incipit, ut malum adesse omnino lateat ; sed haud raro accedunt languor, lassitudo, et capitis dolor, quibus ut se male habeat, homo bene novit. Paucis enim horis elapsis, urgent anxietas, sensusque plenitudinis, quae cum horroribus ac rigoribus quam maxime perturbant. Post horrores tam urgentes, aliquando corpus plus solito calet, sensusque angustiae, temporalibus arteriis valde micantibus, circa frontem praecipue vexat. De-

hinc turgescit facies, cum dolore capitis acuto ; et febre perstante, omnia ingravescent mala. Aeger nunc, aridis faucibus, haud parvum bibere cupit, sitique inexplebili mens pariter ac corpus languescit. Haud infrequenter ne miser quidem alte dormire potest, sed subito somno excitatus, somniisque horrendis vexatus, summaque inquietudine bene multas vigilat horas, siti nequaquam cessante. Inde silentio noctis maxime aegrotat, mane cibum fastidit, quodcunque parce edat male olere putat ; circa fauces arescens saepenumero tussit, sed nil exscreat, sordeque nigra alte obductis dentibus, vires corporis haud tarde consumuntur. Concoctione cibi ita impedita, anima foetida fit, abdomen inflatione haud minus intenditur, quam ructus frequentes non nihil levant. Praeterea, ex hypochondrio dextro potius ad cartilaginem ensiformem oritur dolor, qui modo pungens, modo magis levis, sed alias fere ad mediam sterni partem usque, alias ad summum humeri dextri tendit, maximas insperando, vel hepar manu premendo, molestias illaturus. Accedit

porro dyspnoea, quae fere semper tussi sicca angit; neque aeger tam bene sinistro quam dextro latere cubat, sed mirum in modum singultit. Alvus plerumque torpet, et bilis fluxu obstructo, faeces, si aliquae, plumbi instar, inalbescunt, et urina parca colore flavo omnia tingit. Inde fere omnia incipiunt signa icteri, cum cute pruriente et sapore oris amaro. Aliquando vero alvus soluta, et stercora magna in copia deiciuntur, cum notis, quae speciem biliosae diarrhoeae induunt. Denique, per totum hujus speciei cursum, arteriae maxima vi saliunt, nisi finem versus, ubi gradatim quiescit febris, aliaque indicia pede tardo obrepunt, quae chronicam designant speciem, de qua in ordine.

DE SIGNIS HEPATITIDIS CHRONICAE.

HAEC species sub initio haud bene definitur. Corpus universum rapit torpor, cum ignaviae amore, quem talis moeror excipit cum somno.

lentia, ut nihil evadat aegro jucundum. Morbus jam miserum depascens, et vires ejus tam multum exhaurit, et talem maciem cito inducit, ut omnia per cutem ossa saepius promineant. Vultus, qui prius secunda valetudine floruit, nunc squalidus pallescit, et oculi lividi, hebetes, deinde summa cutis, multo altius flavescent. Dum talia perstant indicia, suo munere ventriculus vix potest perfungi, et inflatio cum nausea, nec non vomitus vexant, aliaque haud pauca dyspepsiae signa. Alvus plerumque astricta, cum cibi fastidio; interdum soluta, cum maximo edendi desiderio, et miser post pastum anhelans, pariter de animo demisso ac abdomine intenso multum conqueritur. Dum tarda perstat alvus, anxietas, nec non vagi dolores, toti corpori obrepunt, et inquietudo per noctem somnum tollit. Quamvis usu purgantium intestina solvantur, tamen sua sponte vix unquam respondent, nisi medicamentis. Gingivae quoque praeter naturam durescunt, adeo ut vix eas cieat hydrargyrus magna in copia. Cor in plerisque exemplis haud plus aequo micat; sed

nonnunquam, morbo progrediente, aliter ac in salute pulsatur, et haud infrequenter finem versus intermittere sentitur. Pulsus vero aortae abdominalis hepar versus, me teste, multum maluit, et arteriae temporales citius pulsantes, aerumnae addunt. Quinetiam, diu observatum est, qui nuper ex febre intermittente sive dysenteria convalescebant, eos haud infrequenter insidiosa corripit molestia, quae, pariter notitiam omnium fugiens, tamen verum hepatis vitium induxit vix medicabile. Illico abdomen intumescit, et ingens jecoris moles, simul cum insolita ejus duritie, tactui explorantis satis patet, et dolores excitando, praecipue post plenius edendum, haud minus acuti, ita aegrum inquietant, ut, neque in sinistro, neque facilius dextro latere, et non nisi supinus, decumbat. Post hanc hepatis duritiem, admodum tarda solet alvus, et nil dejicitur, nisi luti speciem induat: urina fusca sedimentum copiose deponit, et cohors morborum aliorum cito pede contendit, qui aerumnae finem imponunt.

DE FINIBUS MORBI.

Hic morbus plerumque, aptis remediis adhibitis, varios in fines decedit, quorum felicissimus, et fere omni in morbo magis optandus exitus est resolutio; quae, nisi ex naribus vel vasis haemorrhoidalibus fluat sanguis, rarissime accedit. Ad eundem finem pertinent exhalatio per cutem restituta, secretio bilis copiosa, nec non urinae fluxus, quae sedimentum large deponit. Adsunt quoque exempla, in quibus pituita e pulmonibus praeter solitum aucta inflammationem solvit. Ita morbo soluto, omnia redeunt sanitatis signa, cibum summopere aeger expetit, et assumptum bene concoquit: febris gradatim remittit, et vultus et oculi nitent.

Si morbus vero propriis remediis haud ad finem perducitur, sed diutius residit, dolores imminuuntur, sensus ponderis vel oppressionis

et haud infrequenter fluctuationis satis superque manifestus est. Cito horrores pariter ac rigores angunt, omniaque febris hecticae indicia, quae morbum bene designant, in *suppurationem* desiisse. Si pars jecoris inflammata extorsum in fastigium tendit, ibi pus exiturum, abscessu rupto, licet expectare. Sed aliter, nisi adhaesiones inter hepar et alia viscera proxima fiant, ex quo fit, ut per pulmones extussiat, ex ventriculo per vomitum emissum sit, et denique per colon descendat, interdum cum exitu fausto. Quod si unquam revalescit aeger, tales adhaesiones per vitam durant, quo minus in latus sinistrum decumbat, nisi cum molestiis.

Rarissime, si unquam, antequam mors supervenit, in gangraenam incidit, quamvis multa suadere videantur, SAUNDERSIO teste, talem eventum accidisse.

Quamvis inflammationem hujus visceris solertia medici in progressu ejus sistat, sed non penitus tollat; tamen metuendum est, ne talis laesio *duritiem scirrhosam* induat, quae nun-

quam ex acuto, sed potius chrōnico hepatis morbo fere semper oritur. Namque multis in casibus, ut supra dixi, hepar ad ingentem molem tumet, scirrhosum fit, priusquam suspicari liceat, ut id inflammatio unquam aggressa sit.

DE INCISO CADAVERE.

INSPECTIO cadaverum medico maximum infert fructum ; quippe quae non modo ostendit mutationes, quas corpus variis in morbis subit, sed morborum quoque rationes, quae, nisi pro hac in sempiternum laterent, et novas medendi vias optime docet, quibus ars medica gloriam acquirat.

Corpore patefacto, hepar lutei coloris praeter naturam ampliatur, membranaque id circumdans vasis sanguineis conferta, lympham coagulantem effundit, qua partes vicinae maxime adhaerent. Sicubi ad substantiam hujus visce-

ris inflammatio extendit, id semper reperitur tactu durius. Praeterea, abscessus in numero variant; saepe multi, sed parvi, convexam sive concavam diversis in locis; interdum unus, sed maximus internam ejus partem occupat. Pus in saccis longius detentum multo acrius fit, ejusque virulentia, multis testibus, omnem erodit partem quam tetigit, gangraenam intestinis, vitium immedicabile, inductura. Nec desunt exempla post talem inflammationem, in quibus nihil hepatis simile relictum est, nisi aliquid spongiosum sanie repletum.

DE DIAGNOSI.

Nihil citius in lucem protulit, quantum progressum quisvis in re medica fecerit, aut quanto medicus solers empirico jactanti praestiterit, quam diagnosis, quam singuli inter similes morbos quotidie edunt. Ad recte morbos distinguendum in medicina, mens aequae sa-

gax ac capax valde necessaria est ; nam, multa, primo aspectu, minimi momenti videantur, quae tamen in diagnosi vera facienda ad rem multum pertinent. Inter morbos, quibuscum aliquid hepatitidi sit similitudinis, recensentur pneumonia, gastritis, rheumatismus, dyspepsia, morbi ductuum bilis, atque de his singulis paucis in verbis disseram.

1. Pneumoniae cum hepatitide acuta multa communia sunt. In illa dolor in thorace sedem potius habet, tussi sicca, spiritum trahendo, sed non pressu auctus : Dum in hac dolor ex hypochondrio dextro ad claviculam usque surgit, ibique premendo multo magis intenditur. Porro, in hepatitide ventriculus semper dolet, cum vultu flavedine imbuto, haud raro singultu, et quod medico attento semper memoria tenendum est, moles hepatis decubitum in latus sanum maxime dolentem reddit : Contra vero in pneumonia aeger facilius in latere affecto dormit, faciesque magis rubescit. Haec vero signa, altera an altera saeviat, satis indicant,

saltem in calidis regionibus, ubi haec rarissime, si unquam apparet.

II. Gastritis ab hepatitide multo facilius discerni potest. Illi adsunt summa anxietas, cum virium prostratione, et dolor in ventriculo pungens, qui nunquam ad humerum tendit, et vomitus, quocunque ingesto, instanter vexans. Neque facies flavet ut in hepatitide, sed pallida.

III. Rheumatismus musculos jecori proximos rarius sed interdum adoritur, et dolor, etsi magnus, nunquam diu unam habet sedem, sed potius grandiores artus occupat, cursum musculorum sequens. Dolor porro alternans gravius corporis motu urget, sed fixus in jecore inflammato ardet. Postremo illi absunt febris, tussis, vomitus, aliaque multa, quae in nostro morbo valde angunt.

V. Dyspepsia hepatitidi chronicae maxime similis, praecipue hujus initium ab illa distinguere fere impossibile erit; sed in stadio proVectiore, flavedo oculorum ac cutis, situs dolorum et pulsus nonnihil conferunt. Huc etiam historia aegri spectat, ac vitam an calidis re-

gionibus unquam degerit, vel prius eodem sit malo implicitus, medicum semper oportet interrogare.

v. In morbis ductuum qui bilem vehunt, febris minus ardet, nec idem perstat dolor ac in hepatitide ; quippe qui per intervalla cessat, iterumque majore vi redit, sed in partem dolentem decubitu, vel pressu, imminuitur, ubi ex spasmu aut calculis originem ducit.

DE RATIONE SIGNORUM.

In mente est, pauca graviorum, quae incidunt, brevissime absolvere. Nullum vero signum magis tenebris involvitur, quam dolor ad claviculam et summum humeri dextri ascendens. De hoc auctores sententiam dissimilem dederunt. Aliis persuasum est, inflammationem ad dictam partem dolentem porrectam esse : dum alii opinantur septum transversum, in-

solita hepatis mole detrahi, ita vehementer intendi nervum phrenicum, qui a cervice originem ducit.

Decubitus in latus sanum difficilis.—Hoc e pondere hepatis aucto plane pendet, quippe quod ligamenta inflammata, et forsan vicinis partibus adhaerentia, ita molestissime tendit, ut aeger in latus affectum praeoptet cubare.

Dyspnoea, tussis et singultus.—Haec maxime infestant, postquam jecur in mole adauctum sit. Haec enim intumescencia septum transversum sursum premendo, non modo spatium thoracis coarctat, sed hunc muscolum ad solita munera reddit ineptum, inde sine dubio spirandi difficultatem inferet; sed quoque maximus transverso septo inflammato, quod inter ventriculum ac pulmones semper est consensus, qui forsan tussim et singultum excitet.

Vomitus.—Hoc malum non modo e consensu hepar inter ventriculum, sed etiam e bilis influxu, satis patet.

Flavedo oculi et varii alvi status.—Ubi jecur inflammatur, biliosi ductus huic vicini ejusdem

mali adeo participes fiunt, ut bilis ne quidem fluere in duodenum queat. Vesica fellis ideoque impleta, bilis in sanguinem, vel per vasa lymphatica vel regurgitatione manifeste transit per venam hepaticam. Quodcunque autem habeat iter, flavedo primum in oculos, deinde per totam cutem est diffusa. E bile porro in duodenum suppressa, alvus astricta, et faeces bilis expertes albidæ apparent.

DE CAUSIS.

CAUSAE morborum vulgo in prædisponentes ac excitantes divisæ sunt. Hanc vero partitionem auctores minimi faciunt. Scire tamen juvat, illas ex rebus corpori inhaerentibus, has autem ex quocunque extrorsum, originem ducere. De utrisque brevissime.

Causae prædisponentes ad aetatem, sexum, ac temperamentum corporis spectant.

Nulla aetas esse reperitur hujus morbi immu-

nis. GREGORIUS enim, in re medica primi nominis, in suis praelectionibus narrat, quandam octo annos natam hepatitide correptam esse. Adulti quam impuberes magis proclives sunt. Foeminae, quam mares, minus obnoxiae.

Quod ad constitutionem corporis, qui pariter sanguineo temperamento ac melancholico gaudent, simul corripri saepe observatum est, sed aliqui suadent hos prae illis frequentius in morbum incidere. Sed quis non novit sanguineos ad omnem phlegmasiarum speciem magis evadere proclives?

Causae excitantes omnia comprehendunt quae ad caelum, malum morem spectant, necnon ad vehementes corporis exercitationes, animi affectus, multaque alia extranea.

Caelum, malus mos.—Caelum sub quo vitam homo sequitur, ejus corpus varias subit mutationes; laxatur in humido, sed ardente ac frigido aequaliter ad inflammationem tendit. Neque in horum alterutrius extremis ad propria munera valet.

Hoc nusquam magis manifestum est, quam in

morbo de quo agimus. Ad Indiam utramque diu observatum est, praecipue ad Orientalem, in inflammationem incidere jecur, et qui prius frigidas coluere regiones, huic sub torrido sole valde obnoxios esse. Hinc Britanni, qui pro lucro patriam reliquerunt, aut ad has regiones aestuosas pro bellum gerendo transvecti sunt, multum mali ex hepatitide haud semel tulisse solent. Unde sit, satis constat. Annon ex prava vitae consuetudine? Assueti enim in patria cibis vesci varie compositis, praecipue ex carne confectis, et meracioribus plus aequo addicti liquoribus, luxuriose in illa terra ac sua haud raro vivunt. Sed observationi quidem patet, Indos, qui convenienter naturae vivunt, epulasque, condimenta, carnes, religiose abhorrent, multo minus plecti.

GREGORIUS noster, inter praelegendum, narrat, quosdam ex Anglis, bellum in India Orientali gerentes, luxuriose viventes, hepatitide affectos esse, qui paulo post in praelio capti erant, et sobrie vivere coacti sunt, et nihil nisi ex oryza et lacte concessis capiebant, qui tamen in

carcere bene convaluerunt. Ad idem pertinent GIRDLESTONII verba, " That at the famine at Madras, in October 1782, several native children were taken by the English to their tables. By their extreme voracity, their viscera soon became diseased, their bellies tumefied, and scirrhus indurations were to be felt in all those who had not their diet limited for a considerable time *." Nihil de hac re melius dici potest, quam haec verba, quae bene probant intemperantiam omnigenam ad morbum excitandum satis valere.

Vehementes corporis exercitationes. — Crebra exercitatione omnium generum certaminum perturbatur corpus ; cujus vix ulla pars magis dolet quam jecur. Eodem, instar omnium, itinera longa spectant, quae agmen ad defatigationem quotidie faciunt. Nulla in parte terrarum, quam in Madrasia, magis in aprico est, ubi, meridiano soli pulverique objecti, inter bellum gerendum, milites nostri huc et illuc hostem prosequuntur.

* Essay on Hepatitis of India, p. 26.

Motus animi.—Inter hos imprimis recense-
tur ira, ex qua jecur adeo agitatum est, ut
maxima in copia defluxerit bilis. Amor et
moeror, necnon timor ac suspicio, vi haud mi-
nima pollent. HIPPOCRATES, medicinae pater,
de aliquo scripsit, in quem “ex viso spectro”
morbus irruit.

Nec desunt quam plurima alia, quibus infer-
tur malum : qualia, obstipatio ; aqua corrupta ;
injuriae capiti illatae ; calculi jecori inhaeren-
tes ; denique ad oras Coromandeliae aër ita
siccus, et calidis in temporibus periodicis afflu-
ens, ut cutem per castra quam maxime perstrin-
gat.

DE CURATIONE.

MEDICUM, in hoc pariter ac in aliis morbis
ejusdem ordinis, summa vi decet resolutionem
adipisci. Ideoque omnia adhibebit remedia,
quae ad illam praecipue valent. Quaecunque

nempe, sub capite regiminis antiphlogistici inclusa sint, summum fructum ferent. Inter haec, quae efficacissime agunt, imprimis sanguinis detractio, diaeta tenuis, epispastica, purgantia, hydrargyrus, et ea quae sudorem eliciunt. De his singulis.

I. *Sanguinis detractio*.—Ubicunque febris urgeat, nihil citius opem feret sanguinis missione. Itaque ab hoc subsidium mox petimus, ubi ad sunt inflammationis signa. Quantum sanguinis mitti debet, ab aegri viribus, aetate, signorum natura, indoleque corporis pendet. Quo citius, eo melius : orificium ita amplum sit, ut pleno rivo, satis fluat sanguinis brevi tempore. In calidis autem regionibus, quam frigidis, sanguis multo parcius est detrahendus ; nec scarificatione, hirudinibus, aut cucurbitula cruenta, vasa parti dolenti proxima deplere alienum erit, ubi pravus corporis habitus talem exanitionem ex brachio vetat.

II. *Diaeta tenuis* —Nihil luxuriosum in mensam imponatur ; victus tenuissimus, et concoctu facillimus sit, ex rebus confectis, quae neque

calorem augent, neque ventriculum irritant. Inter alia, lac et fruges prosunt, necnon fructuum succi, aut potus subacidi. Sed aeger sana mente, vinum et liquores spirituosos summo cum odio habet.

III. *Epispastica.* — Omnia hujusmodi, cutem, cui imponuntur, imprimis exulcerant, itaque inflammationem, quae intus latet, extrorsum eliciunt. Idcirco, ad jecur inflammatum, talia exulcerantia esse videntur maxime apta. Si febris autem ardet, haec adhiberi vix unquam debent, nisi, sanguine prius misso, cordis ictus plus solito non fiant. Porro, in quibusdam casibus, diu repertum est, renem inflammare cantharides, et dysuriam movere. Ad id malum debellandum, potus diluti ac glutinosi praesertim ferunt opem; et illis, cum eodem consilio, emplastrum ex tartrite antimonii praeparatum, multo longius antecellit.

IV. *Purgantia.* — Haec ad leniora ac acriora optime ordinantur; modo illa, modo haec, aliis et aliis morbis aptius administrantur. Huic morbo, praesertim sub ejus initio, dum ardet in-

flammatiō, sales medii praestant. Hi aqua plurima commisti melius valebunt, quam parcius soluti. Hinc ratio, cur aquae diversae apud *Cheltenham* et *Harrowgate*, a jecinore laborantibus tantum proficiant. Si alvus autem valde astringatur, eam ducere prius utile erit, quam ad alia acriora confugimus. Inter haec, maxima vi pollent submurias hydrargyri, pulvisque jalapae compositus, si adhuc tarda perstat alvus. Illum cum opio conjunctum, ita plurimis laudibus tulit eximius Dr CURRIE, ut ejusdem usu, impune deponatur sanguinis missio aliter necessaria.

v. *Hydrargyrus*.—Inter omnes convenit, qui in India artem medicam exercent, hydrargyrum hepatitidi acutae pariter ac chronicae maximam attulisse opem; sed de tempore administrandi non ita consentiunt. Quidam ex hoc remedio, rarius ante tertium aut quartum diem, auxilium petere monent, ubi morbi vires conquiescunt; dum alii, a primo ejus impetu, ne suppuratio superveniat, semper ad usum hydrargyri confugiunt; et tunc hoc medicamentum

intus et extrorsum continuo adhibent, donec ex ore affecto saliva scatere incipiat. Ubi primum remittit febris, me teste, hydrargyrus mihi summum attulit fructum, praecipue si cum illo opium conjungitur; et, alvus tarda, cum infuso sennae composito, quoque secundo vel die tertio debet leniter solvi.

vi. *Diaphoretica.*—Si aliquid obstat, ne halitus per cutem libere exire queat, rarius, si unquam, hominem quoad corpus sanum solemus invenire. Quicquid, igitur, excretionem per cutem promoveat, in hoc malo vix aspernendum. Huic usui inservit tartris antimonii, parvis in dosibus adhibita, ita ut levem nauseam cieat, diluentibus libere epotis. Ad eundem finem, pediluvium vel balneum tepidum pertinet.

Si omnia jam praescripta nihil boni afferunt, et nihil morbi impetum sistit, in suppurationem ruentis, ad vires corporis insitas, medicus summa cum cura spectet. Hoc itaque consilio, omnia aeger capiat, quae corpus bene reficiunt. Diaeta sit magis lauta, cui adjicienda

sunt cinchona, vinum rubrum, cum opio, quod somnum conciliat. Primum consilium est, ut tumor extrorsum promineat, et ubi pus fluctuat, tumore inciso, ibi exeat. Huic haud minime favent cataplasmata emollientia, quae praecordia bene foveant. Quod si tumor aliter discedat, et pus in partes internas irrumpat, quidvis et diluere et demulcere queat, ad id expurgandum necessarium erit.

Denique, ut aeger ex morbo chronico convaleat, capere oportet juscula quae bene nutriunt, cibum animale m edere, sed eum concoctu facilem, vinum Lusitanum modice bibere, ad vires apte reficiendas. Illa, quae alvum leniter laxant, per totum morbi cursum semper memoria tenendum est. Exercitatio modica in rus, ambulando vel equitando, puro in aëre, semper convenit. Epispastica parti dolenti applicata, topica sanguinis missio, nunquam vero ex brachio, multum juvant. Ulcus arte factum, fonticulus qui vocatur, a Doctore Dick institutus, multam laudem habet; cujus enim ope multos ad sanitatem dictum est rediisse. Hy-

drargyrus, item, hepate durescente, intus assumptus, vel extrorsum fricando adhibitus, ad gingivas ciendas usque, et tonica haud pauca, justam retinet laudem.

Acidum nitricum, Doctor SCOTT medicus Bombaiensis, medicas ejus virtutes in seipsum expertus, maximis extulit laudibus; et nuper ex balneo nitro-muriatico multi affirmant se haud leve commodum experiri; sed mihi hoc morbo affecto nil profuit. Postremo, si aeger in India vitam degit, morbo implicitus, eum ad patrium solum redire oportet, aut caelum mitius migrare. Namque causae, quae primo morbum intulerunt, ibi continuo perstant, et latum habent imperium ad morbum iterum gignendum.

FINIS.